

SCRIPTA

Numéro Scripta : 770

Auteur(s) : Abraham le Maître, recteur de Saint-Martin de Grandcourt [autre]

Bénéficiaire(s) : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1262, 21 juin

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Compromis entre les moines du Tréport et Abraham, dit le Maître, curé de Saint-Martin de Grandcourt, au sujet des dîmes de Grandcourt et de Puisenval

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CCXIII, p. 239-242.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris Abraham dictus Magister, rector ecclesie Sancti Martini de Grandicuria, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, cum inter me, ex una parte, et viros religiosos abbatem et conventum de Ulteriori Portu, ex altera, controversia verteretur super perceptione duarum parciium majorum decimarum fructuum crescencium in quibusdam piechiis terre sitis in territoriis parrochiarum de Grandicuria et de Puteis, videlicet in quibus locis et in quibus feodis dictorum territoriorum quantum tam ego pro portione me contingente, quam dicti religiosi pro rata sua, percipere consueverimus, et precipue in feodo Johannis Gondout, quod non est de feodo de Corcheles, et etiam in terris emptis a persona de Sancto Petro in Valle, ac in terris que sunt de demagnio dictorum religiosorum, et in duobus campis qui sunt de feodo du Doit et de feodo Malferas, quorum unus est situs in Amerous Val et alius in Isnel Val ; item in quadam piechia terre de feodo Hugonis le Borgne, que sita est au [T]ronkei : in quibus omnibus premissis specificatis dico me decimas consuevisse percipere, dictis religiosis in contrarium asserentibus se et suos successores, nomine ecclesie sue de Ulteriori Portu, debere percipere duas partes majorum decimarum in specificatis premissis ; esset insuper contentio, inter me et ipsos religiosos, de situ duarum acrarum de feodo Abrahe Louvel, in quo feodo toto duas partes majorum decimarum dicti religiosi percipiunt, exceptis duabus acris predictis, in quibus ego ac predecessores mei totum percipere consuevimus hucusque ; constaret etiam, tam per confessionem meam quam dictorum religiosorum, me tertiam partem decimarum fructuum consuevisse percipere, et dictos religiosos duas partes in feodis et locis inferius exprimendis, videlicet in feodo de Croismare preterquam in duabus piechiis, quarum una sita est juxta hayam domini Symonis de Grandicuria, militis, [ali]a sita est inter gardinum domini Guillelmi de Mellevilla, militis, et quartam spinam : in quibus duabus piechiis ego ac predecessores mei percipere consuevimus totum ; item in feodo Abrahe Louvel, preterquam in duabus acris, in quibus duabus acris ego et predecessores mei totum percipere consuevimus ; item in feodo de Corcheles, item in feodo Malferas et in feodo du Doit, exceptis duobus campis superius nominatis, in quibus ego dico me totum percipere debere ; item in feodo Hugonis Strabonis, excepta quarta piechia terre que sita est au Tronkei, in qua similiter dico me totum percipere debere, predictis religiosis asserentibus in contrarium ipsos in predictis consuevisse percipere duas partes ; item in campo apud le haye Tourneiche et in campo in termino vallis de Amerous

Val qui terminatur ad viam ; item in campo Rainbout qui est versus forestam ; item in duabus acris quas Helyas Blassel tenet de sancto Michaele et in terra quam tenet de Matheo Louvel ; item in campo quam Guillelmus de Doit tenebat de sancto Michaele ; item in parrochia de Puteis, videlicet in feodo Alexandri, in feodo de Flamis, in feodo Rousselli et in feodo de Croismare, similiter tertiam partem per totum et dictos religiosos duas partes ; item in feodo de Haumeries: tandem, ut tollatur inter me et dictos religiosos ac successores suos et meos hincinde omnis materia questionis in posterum, de bonorum virorum consilio, interveniente etiam consensu et auctoritate reverendi patris O[donis], Dei gratia Rothomagensis archiepiscopi, compromissimus hincinde in fratrem Robertum de Dyeppa, canonicum Beate Marie de Augo, ita videlicet quod, facta primitus ab ipso inquisitione legitima per testes legitimos et juratos, tam de visu quam de auditu, sciencia, credulitate et fama, utrum dicta loca contentiosa sint de feodis seu de aliquo feodorum supradictorum, in quibus ego confiteor dictos religiosos consuevisse percipere duas partes, ac me et predecessores meos tertiam partem decimarum, vel sint loca contentiosa de aliquo feodo seu de aliquibus feodis aliis a superius nominatis, et si, per predictam inquisitionem, invenerit dicta loca contentiosa esse de feodis superius expressis, seu de aliquo feodorum supradictorum, pronunciare tenebitur idem frater R[obertus] dictos religiosos percipere de cetero in locis contentiosis pro rata sua, et me et successores meos pro nostra, prout in piechiis aliis supradictorum feodorum consuevimus percipere hucusque. Quod si invenerit, per dictam inquisitionem, dicta loca contentiosa non esse de illis feodis sed de aliis, secundum quod, per dictam inquisitionem, eidem constiterit dictos religiosos et me, ac predecessores meos, consuevisse percipere in dictis locis contentiosis, a tempore quo bone memorie Robertus de Mellevilla tenuit personatum dicte ecclesie, et ante et post, pronunciabit me et dictos religiosos hincinde quemlibet possidere pro portione sua, hoc adjecto quod, ante pronunciationem suam, a testibus juratis inquirere tenebitur quantum dictus Robertus de Melleville ac successores ipsius percipiebant in dictis locis contentiosis, nomine firme dictorum religiosorum, et quantum nomine ecclesie sue supradicte, causis sciencie requisitis a testibus de visu et auditu, sciencia, credulitate et fama. Sciendum insuper quod ita convenit, inter me et memoratos religiosos, quod idem frater Robertus, facta inquisitione predicta, non tenebitur proferre dictum suum quousque ego, pro me et successoribus meis, et iidem religiosi, pro se et successoribus suis, sufficienter firmaverimus ad invicem quod rata erit et firma in perpetuum prolatio dicti fratris Roberti. Quod si contigerit, ante prolationem dicti sui, tempus messium imminere, idem frater Robertus, ad sumptus utriusque partis, faciet colligi in manu sua et reponi in salvo fructus majorum decimarum crescentes in locis littigiosis superius specificatis, utriusque partis quoad possessionem predictorum in omnibus jure salvo. In cujus rei testimonium, presentibus litteris sigillum meum apposui. Datum et actum anno Domini M°. CC°. sexagesimo secundo, die mercurii ante Nativitatem beati Johannis Baptiste.